



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Viridarivm Sanctorvm

Ex Menæis Græcorum lectum, translatu[m] et Annotationib. similibusq[ue]
passim, historijs Latinis, Græcis; editis, ineditis illustratum

Rader, Matthäus

Avgvstae Vindelicorvm, 1607

De S. Modesto Archiepiscopo Sev Patriarcha Hierosolymorvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-43013

que vita in menologio 20. Septembris describitur,
quo die Martyrol. Rom. eandem commemorat.

28. Dec 2b. DE S. MODESTO AR-
CHIEPISCOPO SEV PATRI-
ARCHA HIEROSOLY-
MORVM.

CAtholicis parentibus hic natus Seba-
stæ, patre Eusebio, matrè Theodula,
quæ non pariebat, precibus amborum da-
tus est hic filius, (eximius postea pater,)
à Deo, post quadragesimum initi matrimo-
nii annum. Nato verò istoc, pater accusatus
est apud Maximianum, quod Christum
profiteretur, comprehensusque in custo-
diam datus. Quod cum Theodula intelle-
xisset, & illa pariter cum filio ad carcerem
properauit, In quo ambo Dominum pre-
cati, in manus angelorū animas in pace e-
diderunt, martyres iam voto effecti, quos
carceris custodes cum defunctos reperis-
sent, puerum inter mortuos viuum iacen-
tem, ad Maximianum detulerunt, quin-
tum mensem primum agentem, quem vt
liberalem & amabilē Imperator vidit, cui-
dam ex ordine senatorio magnā cura edu-
candum commisit, vt qui dignus videretur,
quem

quem Iupiter amaret. Eductus ergo beatus Modestus ab hoc, cum audisset, quibus esset parentibus natus, & quo pacto Christi causâ mortem oppetiissent, tredecennis incidit in ludimoderatorem quendam Christianum, à quo Christianam edoctus pietatem, totum se illi emancipavit. Aegrè verò patiebatur se apud Idolorum cultores versari. Maximiano porro sacrificium publicum promulgante, ille ad parentum monumenta precatus, magno illos affectu rogavit, uti ex Idololatrarum potestate eriperetur, sacraque baptismatis vndâ signaretur. Offendit ergo illū argentarius quispiam Athenas profecturus, qui adscitum secum deduxit, multa in itinere mira perpetrantem, eumque ibi pontifici commendatum erudiri, sacrisque Christianis initiari curavit, qui columnam è cœlo flammam supra verticem iam baptizandi vidit descendere atque consistere. Secundum baptismum Argentarii sororem fatali morbo correptâ, solo contactu, & precibus integritati subito restituit. A dæmone agitatum alium liberavit. Argentatio tandem & vxore eius diem suum obeuntibus, hæres testamento, vna cum filiis scriptus, suam sortem filiis totam reliquit, locaque ab hominum strepitu

H

pitu

pitu remota petiuit, & religiosam exercere vitam instituit. Sed argentarii illius liberi, cum viderent eum passim in hominum admiratione & veneratione versari, id per inuidiam ferre haud potuerunt. Mercatus ergo causâ, instituta professione beatum illum induxerunt, vt se comitem itineris præberet. In Aegyptum profecti, illic illum velut mancipium Dæmonolatæ cuidam vendidêre, à quo innumera mala toto septennio pertulit, quem tamen solis ad Deum precibus ab errore tandem liberauit, & vt cœlesti fonte signaretur effecit, grauiusque decumbentem diuinitus curauit. Post cuius postea mortem, ad Domini sepulchrum, quod vitam continuit, properauit. Deinde ad Sinai rupem se contulit, Deo que deuotus multis ibi miraculis claruit. Postremò defuncto patriarcha Hierosolymitano B. Modestus, numinis aperta designatione, cum annum ageret nonum supra quinquagesimum, Pontifex declaratur. Nec minus hic paucis miraculis effulsit: Nam ciui cuidam Hierosolymitano copiosa armenta conciderant, fonte per insidias dæmonis à serpente venenato, ex quo pecus bibere consueuerat, ad quem sanctus cum staret, & pecora curauit, & serpentem

neca-

necavit, dæmonem astantibus in canis specie visendum exhibuit, testatoque tremendo Dei nomine Dæmonem adiuravit, ut eo nunquam accederet, vbi Dei nomen esset inuocatum. Insuper & argētarii filios Hierosolyma negotiandi causâ venientes, eos, inquã, à quibus in Ægypto erat diuenditus, cum ignorarēt eum Hierosolyms Archiepiscopum creatum, non modo non vltum iuit, sed amantissimè salutatos, humanissime excepit, lautissimèque tractauit. Hanc beatus vitam vixit, octoq; & triginta annis pontificatum administravit, ita vt ad septimum & nonagesimum annum ætatis perueniret: ac demum ad beatorum sedes emigravit.

*En altero
Iosippum.*

ANNOTATIONES.

IN Chronico Nicephori Græco ponitur LXI. Theophâes MS. sub Heraclio, año XXII. & XXIII. Hierosol. præfuisse scribit. Euseb. l. 4. c. 9. de alio loquitur in Antonino Pio. Photi⁹. num. 75. de Hieros. Archiepiscopo agit, an de hoc nescio, nō arbitror. Sanè quis hic fuerit mihi nō nisi ex Mençis liquet.

22. Decēb
* non incatatrix, & quidam non enim est in Græco φαρμακουργία, sed φαρμακολύτεια.

S. ANATASIA * MEDICATRIX COGNOMINATA.

ANastasia, imperante Diocletiano Romanæ vixit, amplissimi cuiusdam ethnici filia,